

et usque portam Gambolagae [a]. Multi conerantur armis, vexillis atque diversorum armorum generibus.

Nota tenorem pacis [initae a Faventinis [b] et Bononiensibus
cum Imolensi civitate.]

CAP. CLXXII.

Sub anno Domini MCCXXII Bononienses et Faventini cum hominibus comitatus [c] de Mutiliano, mense Augusti iterum Imolam obsederunt per vi septimanas [d] cum manganis, balistis atque diversorum tormentorum generibus [e], donec se in manus Faventinorum et Bononiensium, nec non et domino Gottifredo comiti de Blandrata [f], qui comes erat Romanie, sine omni pactione [g] remota miserunt, tali quidem conditione, quod Imolenses foveas et muros atque munitiones omnes, quae erant circum civitatem, destruere deberent, penitus, et obsides darent, portas omnes civitatis Faventiam et Bononiam portarent. Dictus vero dominus comes eis praecepit [h], ut castellanos dicti castri Imolae, pro quo guerra incepta erat [i], ad pristinum locum cum eorum rebus et domibus restituere deberent, et eos ulterius [j], non in civitatem pro civibus recipere. Fuerunt enim CXXXIII, qui hoc pro eorum communi attendere iuraverunt [k] (102).

Quando Faventini miserunt x milites in servitium
Magdeburgensis archiepiscopi [l].

CAP. CLXXIII.

Anno Domini MCCXXII in mense Augusto Faventini miserunt in servitium domini Alberti archiepiscopi de Madeburche [m], comitis de Romania, Arnezum Karentanum [n] Faventinum potestatem [o] et decem milites cum eo in Galiata apud Ronden-

[a] Portam Gambolagae, Codd.: Tondutius vertit, Porta di Gambolaga. — [b] initae a Faventinis etc. Ad-
ditio ad titulum per me facta, ut clarius appareat res. — [c] hominibus comitatus. Sic lego. Codd. habent:
hominibus comitatum: an legendum, comitum? — [d] per vi septimanas. Sic C. M.; per septem septima-
nas, C. V.; per quinque, Zuccul. — [e] tormentorum generibus. Sic lego; licet in Cod. M., evanuerint
fere literae. In C. V., armorum generibus. — [f] comiti de Blandrata. Sic lego; comiti de Blandrato,
C. M.; militi de Blandrata, C. V.; sed corrigere oporteret: domini Gottifredi comitis. — [g] sine omni
pactione. Sic Codd.; sed dele, sine. In cap. CLXXVI, huiusmodi formam videbis, in qua, loco sine, est sive.
— [h] eis praecepit. Sic corrigo. Codd. habent: et praeicipiens. — [i] incepta erat, C. M.; incepta est,
C. V. — [j] et eos ulterius. Sic corrigo. Codd. habent: et eis ulterius. — [k] attendere iuraverunt. Sic Cl.
Mitt.; attendere curaverunt, C. V. — [l] Magdeburgensis Archiepiscopi. Sic Cl. Mitt.; Madeburgensis
Archiepiscopi, C. M. — [m] de Madeburche. Sic mihi videtur legi posse in C. M.; de Madeburgh, Cl.
Mitt.; Madeburgensis, C. V. — [n] Arnezum Karentanum, Cl. Mitt. cum Tondutio. Sed in Codd. lego;
Arnezum Karentanum. — [o] Faventinum potestatem, C. V.; Faventiae potestatem, Cl. Mitt.